

nare aliquid vere intelligi ab æterno, veritatem aliquam redit æternam; unde etiamsi Deus in tempore, et non ab æterno inciperet intelligere, veritas tamen rerum esset æterna, quia quantum est ex se non repugnat ex se antea, et antea sine determinato principio intelligi. Nec tamen hinc sequitur aliquid ab æterno subsistere præter Deum, quia veritas solum dicitur æterna, quia non repugnat ab æterno intelligi, ut quando connexio est essentialis, vel quando enuntiatio est de re futura, quia utrumque de se natum est intelligi vere a quocumque intellectu, etiam ab æterno. Ex quo colligit veritatem dici immutabilem, non ex eo quod Deus, vel ejus veritas mutari non potest, sed quia de se quælibet veritas ab æterno est, ut dictum est.

XV. Nihilominus pro intelligentia D. Thomæ supponendum est id quod sæpe diximus, veritatem transcendentalem rerum consistere in conformitate cum ideis divinis, a quibus derivatur, ita quod licet ista veritas entitative debeat præcedere veritatem nostri intellectus, quia in nobis formatur ex notione, et dependentia a rebus a quibus sumitur nostra scientia, tamen veritas intellectus divini præcedit ipsam veritatem rerum, utpote a se derivatam, et participatam, non solum in esse existentiae, sed etiam in statu possibili, aut secundum se, quia quocumque modo sumatur, est veritas creata, et participata a Deo. Nec potest intelligi quod solum sit veritas in potentia a Deo in ratione veritatis, licet quantum ad rationem existendi non semper sit actu existens, sed mutetur de non esse ad esse, vel e contra: sed in hoc sensu dicitur veritas esse participata a Deo, quia si intelligitur veritas, debet intelligi per ordinem ad actualem ideam, et veritatem Dei, non ad potentialem.

Et ita si per impossibile Deus aliquando non habuisset ideam, sed cœpisset habere in tempore, tunc non daretur aliqua veritas creata ab æterno, etiam objective, et fundamentaliter, quia non daretur actualis idea per ordinem ad quam diceretur participata veritas, sicut communiter dicunt theologi I-II, q. LXXI, art. VI, quod si tolleretur lux æterna, non solum in suo effectu, prout in nobis manifestatur, sed prout est intra Deum, tolleretur omnis ratio peccati, quia essentialiter est transgressio legis: sic etiam quia veritas transcendens est participatio regulata a veritate æterna, quæ est idea, non potest sine veritate æterna Dei intelligi aliqua veritas creata. Et hoc multo fortius currit in veritate, quam in peccato, quia peccatum solum respicit legem; ut illi oppositum et ab ea devians: ut autem aliquid opponatur alteri, non requiritur quod suum oppositum existat, sed etiam eo remoto, adhuc potest retinere oppositionem ad illud, quia retinet naturam, quæ de se nata est opponi, licet de facto non exerceat oppositionem, id est, exclusionem illius, et relationem realem oppositionis ad id quod non est. At vero id quod est participatio alicujus non potest intelligi tamquam participatio, nisi detur de facto id a quo participatur, et sic veritas participata essentialiter supponit primam veritatem, a quo dicitur participata et creata.

XVI. Ex qua doctrina sequitur confirmatio, et illustratio doctrinæ D. Thomæ et responsio ad objecta Vasquez. Nam in primis ex hoc intelligitur quomodo verum sit, quod in articulo sexto docet S. Thomas, quod omnes res sunt veræ, quantum ad veritatem transcendentalem ab una prima veritate, quæ est in intellectu divino; veritas autem quæ est in intellectu creato multi-

plicatur secundum diversos intellectus. Hoc enim dictum non intelligitur sic, quod res omnes sint veræ una prima veritate, tamquam sibi inhærente, sed tamquam regulante, et mensurante, et a qua tamquam a principio participatur veritas transcendentalis, quæ est inhærens in rebus ipsis, et est conformatio cum veritate divini intellectus, et talis conformatio multiplicatur in rebus, sicut ipsa entitas, ut concedit D. Thomas q. I de verit. art. IV ad 1. Veritas autem formalis, quæ est in intellectu hæc est una in Deo, in rebus autem solum denominative, sicut sanitas in animali, et medicina; quod non tollit transcendentalem veritatem esse intrinsece in rebus, et multiplicari, ex participatione tamen intellectus divini.

XVII. Secundo, colligitur ex eodem fundamento veritates creatas non posse dici æternas, quia possunt de se causare, aut terminare iudicium cujuscumque intellectus, si daretur ab æterno, ut putat Vasquez loco citato, sed ex eo potius, quia a veritate æterna divina intellectus tamquam a prima regula, et principio sui derivantur, et participantur; quod constat ex opposito fundamento, quia veritas creata, quæ convertitur cum ente, prius comparatur ad intellectum divinum, cujus participatio est quam ad creatum, in quo cognitionem sui causare potest: causare enim sui cognitionem non est constitutum veritatis transcendentalis in rebus, participari autem a divina veritate, eique conformari, essenziale est veritati creatæ: prius est enim esse in se, quam causare aliquid in alio: nam et illa capacitas ut cognoscatur aliquid ab intellectu creato, etiam si daretur ab æterno, est aliquid participatum a divina veritate, et sic ex ipsa veritate divina habet veritas creata totum quod requiritur ut veritas di-

catur æterna. Ad hæc, licet possit res aliqua semper intelligi ab intellectu creato, si daretur, tamen in se debet habere aliquod fundamentum, ratione cujus potest a quocumque intellectu semper intelligi, sive hoc fundamentum sit invariabile, et semper verum, sive variabile, et diversum, ut in contingentibus: ergo antecedenter ad hoc quod aliqua res possit intelligi, assignari debet fundamentum talis intelligibilitatis, et veritatis; hoc autem non est aliud quam ipsa entitas rei, ut adæquata, et conformata suo principio, id est, divinæ ideæ, unde illi determinatur ratio, et mensura suæ naturæ, et eorum quæ sibi debentur: ergo prius, et principaliter desumenda est veritas æterna in rebus creatis, ex conformitate ad veritatem æternam divinam, quam ex eo quod possit intelligi ab aliquo intellectu creato, etiam si esset ab æterno.

XVIII. Colligitur tertio, specialiter aliquas veritates dici æternas, alias vero non, quia licet omnes deriventur a veritate divina, sed non eodem modo. Quædam enim derivantur a Deo tamquam essentialia prædicata rei, aut necessario consecuta, quædam ut accidentalia. Quæ derivantur, ut substantialia, non solum a principio immutabili derivantur, quæ est divina veritas, sed etiam ab illa necessitate participant sic conveniendi, et constituendi res: ubi autem participatur necessitas, ibi etiam participatur immutabilitas, quia quod necessario est tale, semper est tale et sic vocatur æterna veritas, id est, necessaria, quia necessarium semper est idem. Quæ autem derivantur a Deo ut prædicata accidentalia, licet deriventur ab immutabili principio, in se tamen sunt contingentia et mutabilia, et ita non fundant prout in se, et secundam suam participationem veritatem necessariam, et semper eandem, sed varia-

bilem, et contingentem, licet veritas divina omnia illa immutabiliter complectatur, causans unam veritatem pro uno tempore, et aliam pro alio. Videatur D. Thomas q. 1 de verit. art. vi ad iv.

XIX. Colligitur quarto, quod hæc veritas creata necessaria non dicitur æterna positive, seu durative, quia æternitas quantum ad durationem supponit existentiam, quæ non datur in creaturis secundum se, et essentialiter, sed dicitur æterna dupliciter; primo negative, secundo denominative, seu objective. Primo modo dicitur æterna, quia non fundatur ejus veritas, et connexio in aliqua mutatione temporali, nec dependet ab hic et nunc ut possit vere intelligi, licet ut possit existere requirat aliquam actionem agentis, quæ necessaria non est. Et hoc modo assignat D. Thomas veritatem æternam propositionibus necessariis, et universalibus, in præsentis articulo v ad ii et quæst. i de verit. art. v ad xiv. Secundo modo dicitur hæc veritas æterna, quia est objectum iudicii æterni Dei participando ab illo necessitatem, ita ut semper uno et eodem modo judicari, et intelligi possint, non ut pro diversis statibus, vel temporibus mutantur, sicut contingentia. Et hoc modo connexiones essentielles dicuntur veritates æternæ ex participatione veritatis divinæ, quæ de eis judicat ab æterno secundum eundem modum, et necessitatem quam ab illa habent, licet etiam secundo possint sub eadem necessitate intelligi a quocumque intellectu, si detur. Et hæc denominatio veritatis dicitur manere, etiam ipsis rebus non manentibus in sua existentia, quia sic manent in sua intelligibilitate, et in iudicio divino.

XX. Colligitur ultimo, quid dicendum sit de veritatibus contingentibus, sive futuris, sive non fu-

turis, hæc enim veritatem non habent, nisi ex sua causa, ut docet S. Thomas in hoc articulo vii ad iii. Nam ex se, id est, ex propria essentia, et connexione suorum prædicatorum, non fundant determinatam et unam veritatem, sed variabilem, et indifferentem ad se, vel non esse, eo quod tota ista veritas in aliqua existentia, vel ex ordine ad existentiam desumitur: ergo ex se non sunt natae causare, et inducere semper eandem veritatem in intellectu, secundum id quod de se fundant; sed si aliquam determinationem veritas illarum habet, debet esse ex aliqua causa determinante illam indifferentiam, et suspensionem, quæ causa est Deus, qui de istis contingentibus disponit, et prævidet, ut suprema, et universalissima causa, atque adeo determinat quid futurum sit in unam partem potius quam in aliam, de quo late egimus præcedenti tomo, disp. xix. Quod autem Vasquez dicit hic disputatione lxxviii citata, quod ista futura contingentia, v. g. antichristus erit, sunt aptata nata vere sic intelligia quocumque intellectu, non potest dici quod id habeant ista futura ex meritis suæ propriæ contingentiae, et indifferentiae, quam solum fundant ex se, et ex propriis causis, sed si talis veritas determinate eis attribuitur, id erit ex habitudine ad causam primam, quæ suo decreto id determinat, ut citato loco ostendimus. Unde iste sensus p. Vasquez est fundatus in illa sententia, quod veritates de futuro contingentia ex se determinatæ sunt, neque ideo sunt determinate futuræ, quia a Deo intelliguntur, et decernuntur, sed potius ideo determinate intelligi etiam a Deo, quia in se sunt determinate futuræ, atque adeo antecederent ad Dei intelligentiam et dispositionem sunt determinatæ, et sic non solum in se, sed ex se determinationem habent, et non

ex Deo, quæ est magna absurditas. Vide loco citato quæ diximus.

XXI. Sed dices: Hæc propositio: Homo est animal, secundum se, et independentem a iudicio intellectus divini est vera, si quidem id habet ex sola terminorum connexione; ergo non ex eo est æterna, quia est in intellectu divino, neque ex eo est vera, quia Deus illam intelligit, sed e converso: et similiter hæc propositio: Antichristus erit, de se determinatæ veritatis est, quia a quocumque dicitur, etiam ab æterno, dicitur id quod est in re: ergo dicitur verum: ergo non ex eo solum est vera, quia est in mente divina, sed quia conformabilis est cuilibet intellectui.

XXII. Respondetur illam veritatem necessariam: Homo est animal, esse veram, ex connexione extremorum secundum se, ut participata a veritate divina, quia etsi sit necessaria connexio, habet tamen neces-

sitatem participatam, et creatam. Unde ex eo quod Deus illam intelligit per modum ideæ causantis illam veritatem, talis veritas necessaria est, non ex eo, quod veritas illa est, Deus habet ideam, et cognitionem illius. Quod multo magis requiritur in veritate contingenti, cujus veritas non solum est participata a Deo, sed etiam determinatio indifferentiæ ejus ex decreto Dei est, quia determinatio circa existentiam, vel non existentiam est. Unde qui proferret illam, etiam ab æterno proferret verum determinate, non determinatione orta ex meritis ipsius objecti, quod potius de se est indifferens, et incertum, sed ex subordinatione ad decretum divinum, cui, si non conformaretur illa veritas non esset determinata. Videantur quæ diximus disputatione xix, citato tomo præcedenti.